

Personæ; tum in alios derivando dona gratiæ tamquam auctor sanctificationis, et plenus gratia. Si autem uniret sibi Persona divina naturam irrationalem et incapacem gratiæ, esset quidem ibi Persona illa novo modo in ratione suppositi, sed non in ratione Personæ, quia non mitteretur ad existendum et communicandum se illi, ut Persona et secundum dignitatem Personæ, sed Præcise ut suppositum, et ut supplens vicem suppositi quod non est Persona, quia naturæ irrationalis est. Proprie autem non mittitur suppositum, sed Persona, quia in missione operatur res missa ut intelligens, et cognoscens. Unde licet in illo casu ille qui mittitur Persona sit, tamen quia non mittitur in quantum Personæ gerit vices, sed ut supplens vicem suppositi, et non Personæ, ideo illa proprie, et simpliciter non est missio, sed physica communicatio sui, seu novus modus existendi ex parte novi effectus physici, non ex parte modi existendi, quasi illi cohabitans et coexistens, etiam morali modo et convictu, qui est proprius personæ intelligentis: licet enim non consistat missio in morali egressione ab alio per imperium, vel suasionem, requirit tamen ut is qui mittitur modo intellectuali, et ut Persona, exeat, et procedat ad id ad quod mittitur. Vel secundo, dici potest quod illa assumptio naturæ inanimatæ esset missio, quia licet non sanctificet illam naturam formaliter in se, quia incapax est, est tamen de se illa actio ordinabilis ad sanctificandum alios, et hoc sufficit; sicut apparitio Spiritus sancti in creaturis irrationalibus, ut in columba, vel linguis igneis fuit missio, quia ordinabatur ad sanctificandum Apostolos, quanto magis si illas creaturas in unitatem Personæ assumeret. Et de facto Filius Dei in triduo mortis assumpsit

corpus mortuum, et fuit missio quia ordinabatur illa mors ad nostram sanctificationem, et nobis fuit salutaris.

XVII. Ad primam confirmationem respondetur, quod de sacramento eucharistiæ possumus loqui, vel quoad summptionem, vel quoad consecrationem quando ibi convertitur panis in corpus Christi. Si loquamur de sacramento quoad summptionem, non est difficultas: sic enim mittitur Persona, non ad ipsum sacramentum (sicut nec ad alia quæ in ipso usu, et operatione perficiuntur, quia ibi non est gratia, sed instrumenta sunt gratiæ, ut ex D. Thoma supra diximus) sed ad personam sumentem eucharistiam, quia datur ei gratiæ augmentum, et consequenter mittuntur Personæ, sicut quodcumque datur gratia, aut augmentum gratiæ, licet speciali modo mittatur ibi Persona Filii, mediante carne sua sibi personaliter unita, et quæ realiter sub illis speciebus conjungitur corpori sumentis. Sed tamen tota hæc missio Personæ divinæ ad animam sumentis eucharistiam mediante gratia fit. Si autem loquamur de existentia corporis Christi in sacramento, per conversionem panis in ipsum, duplex solutio adhiberi potest.

Prima, quod illa non est missio specialis Personæ Filii ad sacramentum, sed est missio ipsius Christi ut homo, seu corporis ejus, ut ibi existat: aliud est enim missio ipsius Personæ, ut novo modo sit in aliquo, aliud est missio ipsius humanitatis, seu corporis Christi, quod tamquam quid creatum mittitur.

Secunda solutio est, quod dato quod illa conversio, et transubstantiatio sit missio Personæ, pertinet ad missionem visibilem reductive, quatenus corpus Christi, licet invisibili modo hic sit, tamen in se sensibile

est quoad substantiam, et hic visibilis redditur sub aliena specie; et sic est visibilis per aliud, non per se. Hæc secunda solutio ex eo stabilitur, quia ista conversio non est missio Personæ ad animam, sed ad existendum in sacramento idem corpus, quod existit in cælo; ergo si ipsa Persona hic mittitur ad corpus, ut sacramentatum, non est missio invisibilis, quæ est ad animam per gratiam, sed visibilis, quia est ad corpus, non suo modo proprio, sed modo alieno, id est, specie aliena manifestatum. Prima vero solutio explicatur sic, quod licet corpus Christi alio modo existat in hoc sacramento, quam in se; et sic mittatur ut sit ibi novo modo, non per motum localem, sed per conversionem panis in ipsum, tamen ipsa Persona divina non existit novo modo in ipso corpore, et humanitate assumpta, sed per eandem unionem, qua in incarnatione unita fuit Persona Verbi illi corpori, eadem et non alia, nec novo modo unitur, et communicatur illi corpori in sacramento, quia idem corpus est: non ergo de novo mittitur Persona divina ad illud corpus, seu naturam assumptam, licet ipsum corpus novo modo ponatur in sacramento; sicut ex eo quod corpus Christi in propria specie immutaretur, verbi gratia immutatione glorificationis in transfiguratione, vel resurrectione, aut immutatione passionis, non ex hoc fiebat nova missio Personæ ad ipsum, quia non ex hoc immutabatur modus, quo Persona divina illam naturam, et corpus assumpsit.

XVIII. Ad secundam confirmationem, respondetur negando minorem.

Ad probationem dicitur, quod non dicitur fieri missio Spiritus sancti ad illas creaturas visibiles, ut per eas demonstraretur gratia, sicut

per sacramenta, nec ut in eis esset gratia, sicut in anima ad quam fit missio invisibilis, sed ut significaretur ipsa Persona divina in illo signo visibilis, quod ad hoc formatum fuit tunc, non ut repræsentaret gratiam, sed ut significaret Personam Spiritus sancti, licet a tota Trinitate formata sit, imo et ministerio Angelorum, sed non ad repræsentandam totam Trinitatem, vel Angelum, sed Personam Spiritus sancti; sacramenta autem sunt signa visibilia, non repræsentativa divinæ Personæ, sed gratiæ, ad quam significandam imponuntur seu destinantur a Deo, et ideo visibiliter dicitur apparere, et mitti Spiritus sanctus in istis creaturis, et non in sacramentis. Quæ est solutio D. Thomæ in hac quæstione, art. vii ad ii et v. Addit sanctus doctor in i, dist. xvi, q. i, art. i ad i missionem visibilem Spiritus sancti fuisse in illam creaturam, non ut in id ad quod fit missio, sed ut ostendens solum missionem invisibilem factam in aliquem, et ideo non esse in illa creatura novo modo, nisi ut in signo, sed est novo modo in eo ad quem fit missio. Ubi ly solum non excludit a concomitantibus, scilicet quod repræsentetur ibi etiam Persona ipsa Spiritus sancti non ut assumens illam naturam, sicut in Christo, sed ut sanctificans alios, et dans eis gratiam missione invisibili.

XIX. Ad id autem quod dicitur Deum esse in illa creatura solum ut signatum in signo, quod non requirit realem missionem, sicut cum realiter unitur natura Personæ, respondetur quod licet illa missio non sit secundum tantam communicationem, sicut cum creatura assumitur in unitatem Personæ, est tamen sufficiens ad missionem, quia in illa creatura repræsentatur Spiritus sanctus non ut absens, et solum re-

præsentative ut in imagine pieta, sed ut præsens, et ibi specialiter operans, sicut thronus in quo rex sedet, et corona quam habet in capite repræsentans ejus majestatem, ut præsentem, et sic non est rex in throno repræsentative, sed realiter, licet thronus repræsentatio sit sublimitatis ejus: sic Spiritus sanctus in illis visibilibus creaturis tamquam in speciali suæ pietatis, et majestatis throno repræsentatus est pro sanctificatione creaturæ, et ideo specialiter ad illas ut ad repræsentativas visibiliter suæ majestatis missus est. Illæ autem creaturæ non per solam imaginationem, sed visibiliter omnium oculis apparuerunt et repræsentarunt Spiritum sanctum, ut ex Augustino, II de Trinitate, cap. VI docet S. Thomas in articulo septimo citato ad secundum quidquid sit an ille ignis fuerit verum elementum ignis, an exhalatio aliqua ignea: saltem enim fuit verum corpus, non imaginarium; et columbam illam quæ in baptismo Christi apparuit fuisse verum animal, docet ex Augustino D. Thomas III p. q. XXXIX, art. VII.

XX. Secundo arguitur: Deus speciali modo potest esse in creaturis independenter a gratia sanctificante, vel saltem simili modo atque est per gratiam sanctificantem, sed tamen sine illa: ergo falsa est tertia conclusio, quod solum per gratiam sanctificantem fit missio Personarum. Antecedens probatur variis exemplis.

Primo, in B. Virgine, quæ ut esset mater Dei et maneret virgo, Spiritus specialiter ad illam missus est, juxta illud Luc. I: *Spiritus sanctus superveniet in te, etc.* Ad rationem autem maternitatis divinæ secundum se non requiritur gratia sanctificans: bene enim posset nasci Christus ex matre non habente gratiam sanctificantem: ergo bene

potest dari missio Spiritus sancti invisibilis sine gratia.

Secundo, in conversione ad Deum ut ad finem ultimum naturalem per cognitionem et amorem naturalem: ibi enim creatura convertitur ad Deum ut ad finem, non solum exit ab ipso, ut ab efficiente, et Deus est in creatura ut amatum, et cognitum in cognoscente et amante, qui est specialis modus, quo Deus existit in creaturis rationalibus, ergo etiam sine gratia sanctificante Personæ peculiari modo sunt in anima: ergo mittuntur ad illam. Et præsertim hoc urget, quia in quibuscumque donis, etiam naturalibus datur ipse Dei amor, qui est primum liberalitatis donum, et in quocumque dono sic liberaliter collato, respicit creatura Deum speciali modo quo ante non respiciebat. Cur ergo hoc non sufficet ut Deus speciali modo sit in creatura, et consequenter Persona mittatur ad creaturam, si per amorem datur illi: quod enim sufficit ut detur, sufficit ut mittatur?

Tertio, si aliquis haberet actum charitatis, et non gratiam in essentia animæ, diffunderetur charitas in illo per Spiritum sanctum: ergo daretur Spiritus sanctus sine gratia; et sic sine illa mitteretur. Et qui justificaretur per visionem beatificam sine habitu gratiæ, etiam haberet missionem Spiritus sancti factam ad se, quia speciali modo esset in illa anima per justificationem et beatitudinem: non ergo ista missio fit per sola dona gratiæ sanctificantis, sed etiam sine illis.

Quarto, qui habent fidem et spem, propheticam cognitionem, et alias gratias gratis datas, non continuo habent gratiam, et tamen habent Deum ut amatum in amante et cognitum in cognoscente, etiam supernaturali cognitione: ergo Deus venit ad tales, et Personæ mittuntur

ad eos, ut modo speciali ibi sint, scilicet ut amatum in amante. E contra vero potest quis esse in gratia, et non amare nec cognoscere Deum, ut parvuli baptizati: ergo esse in gratia, non facit Deum esse illo speciali modo ut amatum in amante, et cognitum in cognoscente, quia ly cognitum, et ly amatum dicit actu amari et cognosci.

Respondetur negando antecedens.

Ad primam probationem dicitur, quod Spiritus sanctus supervenit in Virginem, ut esset mater Dei, et attingeret sic ordinem hypostaticum, supponendo illam esse plenam gratiam: sic enim prius Angelus eam gratiam plenam nominavit, quam diceret Spiritum sanctum superventurum in illam. Et sic dignitas maternitatis congrue, et connaturaliter exigit sanctitatem, quia pertinet ad ipsum ordinem hypostaticum qui de se altiore formam sanctitatis importat. Quod si de potentia absoluta esset maternitas sine sanctitate, tunc non superveniret in eam Spiritus sanctus per modum missionis simpliciter, quia non inhabitaret in ea, sed secundum missionem secundum quid, quatenus efficeret tale donum maternitatis simul cum aliis Personis, ratione cujus exigebat ad eam disponi per gratiam, et per ipsam missionem Personarum; et sic in ipsa maternitate aliquid de Personarum missione exigitur, saltem sicut ad alia dona supernaturalia disponentia ad gratiam, aut cum illa congruitatem habentia, ut de fide et spe, aliisque divinis illustrationibus dicemus.

Ad secundam probationem dicimus, quod conversio hominis ad Deum, ut finem naturalem cognitum, et amatum, non sufficit ad missionem Personarum divinarum, ob duplicem rationem. Primo quidem, quia per cognitionem natura-

lem non manifestantur divinæ Personæ, nec cognoscuntur, sed solum per supernaturalem revelationem, missio autem Personarum divinæ fit secundum effectus manifestativos earum. Secundo, quia per cognitionem, et amorem naturalem dicitur quidem Deus cognitus et amatus denominatione quadam extrinseca, tamquam objectum extra manens, non tamen ut cohabitans, et conveniens ipsi homini, et ut fruendus ab eo, quod tamen ad missionem invisibilem requiritur, per quam Deus est in homine, ut in templo, in quo colitur et habitat, et ut fruendus ab homine, et in ipso mansionem habens juxta illud Joan. XIV: *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Quod totum non fit per cognitionem, et amorem naturalem per quem non datur jus et potestas filios Dei fieri.

Ad tertiam probationem respondetur, quod in illo casu quo quis justificaretur per actum visionis, vel charitatis sine qualitate gratiæ in essentia animæ recepta, haberet tamen virtualiter, et quasi radicaliter gratiam, quia haberet consumptionem gratiæ sufficientem ad remissionem peccatorum, et actus connaturaliter, et de se exigentes gratiam in subjecto, et sic æquivalerent ipsi gratiæ, atque adeo missionem Personarum haberent, quæ solum datur cum donis sanctificantis gratiæ, vel formaliter, vel æquivalenter afficientis subjectum. Si autem illi actus non sufficerent reddere hominem justificatum, saltem quoad omnes effectus justificationis, diceretur mitti Spiritus sanctus non simpliciter, et perfecte, sed secundum quid, sicut in aliis effectibus supernaturalibus, quæ non perveniunt ad gratiam justificationis et sanctitatem perfectam.

Ad quartam probationem dicitur,

quod per fidem, et spem, prophetiam, et alia dona supernaturalia extra gratiam non mittuntur Personæ divinæ simpliciter, sed secundum quid, ut supra explicavimus, quia licet per fidem, et prophetiam cognoscatur de Deo, et per spem desideretur Deus, tamen non perfecte amatur super omnia. Unde secundum talem cognitionem et amorem non tractatur Deus, nec habetur ut inhabitans et manens intra, quia nondum a nobis habetur ut finis ultimus super omnia amatus, et consequenter nec ut fruendus, et amicitabiliter nobis conjunctus; et sic non convivit nobiscum, sed cognoscitur ut extraneus et desideratur languido, et efficaci amore, non sicut diligere et tractari debet Deus. Et ita adhuc longe est a tali corde in ratione conviventis et cohabitantis. Quod si longe est, non accedit, nec conjungitur, ac proinde nec mittitur, quia missio ad accedendum est. Per fidem autem non vivam, sed mortuam non acceditur, nec tangitur Deus, licet attingatur et cognoscatur, et potius premitur quam tangitur. Qui vero habitum gratiæ habent, et non actum, ut parvuli, vel dementes, habent in se Deum, et mittuntur ad eos Personæ secundum talia dona, non quia actu amatur, sed habitu: hoc enim sufficit ut dicatur esse amatum in amante, scilicet actu vel habitu, quia etiam ratione habitus gratiæ dedit eis potestatem, et jus fruendi Deo, scilicet ut Filii Dei fiant, unde jam habet in se et intra se Personas divinas, ratione illius juris, et potestatis, quam sibi dat gratia et filiatio Dei, ratione cujus habet intra se id quo debet frui, id est, Deum: *Regnum enim Dei intra vos est*, inquit Christus Dominus, Lucæ xvii.

ARTICULUS III.

Utrum non solum dona gratiæ, sed etiam ipsa Persona divina detur et existat realiter in anima ex vi missionis?

I. De hac difficultate nonnulla tetigimus præcedenti tomo, circa quæstionem viii, d. viii, a. vi, ejusque plenior resolutionem in hunc locum remisimus. In ejus autem resolutione tradenda, unum supponimus, et aliud controvertimus. Supponimus ut certam, quod cum mittuntur Personæ divinæ, et dantur nobis, non solum dona creata gratiæ, sed etiam ipsa Persona divina et increata nobis datur, et peculiari aliquo modo est in anima, sic justa et sancta, quo non est in aliis rebus in quibus generali modo suæ immensitatis est per essentiam, præsentiam et potentiam. Difficultas vero est de modo isto peculiari quo est in anima sanctificata per gratiam, an sit præsentia realis et entitativa, ab immensitatis præsentia diversa, sicut in humanitate Christi realis, et substantialis unio datur præter immensitatis præsentiam; quod explicatur illa conditionali, an si per impossibile Deus non intelligeretur immensus, et ubique, tamen si infunderet alicui gratiam, deberet ei esse præsens realiter et intime in sua substantia.

II. Præsuppositum, quod tamquam certum habemus, constat ex his quæ diximus loco citato præcedentis tomi. Et a D. Thoma ita habetur pro certo, ut oppositum errori adscribat, cum in hac quæstione, articulo tertio, in argumento primo inferat pro inconvenienti, quod non donabitur ipsa Persona divina: quod, inquit: « Est error dicentium Spiritum sanctum non dari, sed dona ejus. » Et eodem modo in i, dist. xiv, in pri-

ma divisione textus, inquit: « Magistrum excludere ibi errorem dicentium Spiritum sanctum non dari in processione temporali, sed tantum dona ejus. » Et ratio est, quia hoc plene Scriptura significat, tum quia dicit Personas divinas in nobis habitare, et ad nos venire, Joan. xiv: *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*; et de Spiritu sancto dicit postea: *Apud vos manebit, et in vobis erit*, quod certe de donis gratiæ creatis non potest verificari, cum de ipsis Personis dicatur, quod manebunt, et venient ad nos; de donis autem creatis id verificari non potest; tum quia dicitur Spiritus sanctus esse in nobis, ut in templo suo i ad Corinth. iii: *Nescitis, quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti quem habetis a Deo, qui in vobis est, etc.* Tum denique, quia expresse distinguit Scriptura inter hoc quod est dari dona creata gratiæ, et dari ipsam Personam increatam Spiritus sancti cum dicitur Roman. v: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*, quod frustra distingueretur inter charitatem diffusam, et Spiritum sanctum datum, si dari Spiritum sanctum non esset aliud, quam dari dona gratiæ, seu charitatem diffundi. Adstipulatur etiam auctoritas Augustini xv de Trinitate, c. xxvi, ubi aperte dicit: « Ipsum Deum dari, cum datur Spiritus sanctus. » Et Ambrosii lib. i de Spiritu sancto, cap. iv, ubi Spiritum sanctum qui datur dicit esse ipsum Deum, qui simplex est in substantia, et ubique totus et concludit: « Quis ergo dubitet divinum esse quod infunditur simul pluribus, nec videtur? » Gratia autem creata non infunditur simul pluribus, sed dividitur singularis, prout Spiritus sanctus vult, ut ait Apostolus. Has auctoritates recitat magister in i, dist. xiv.

VARLÆ SENTENTIÆ CIRCA DIFFICULTATEM, EJUSQUE RESOLUTIO.

III. Duplex ergo sententia circa difficultatem supra positam versatur.

Prima tenet, missionem Personarum ita Personas ipsas dare in se, quod realem, et entitativam suæ substantiæ præsentiam habent in anima, præter illam communem, quam ratione immensitatis in omni creatura Deus habet. Ita communiter discipuli D. Thomæ. Videri potest magister Gonzalez i p. qu. viii, disp. xviii; Suarez lib. xii de Trinitate, cap. v; collegium Carmelitanum tract. vi de Trinitate, disp. xix, dub. v, n. lxxx, qui citat Cornelium a Lapide super caput primum Oseæ, n. xii, et alios.

Secunda sententia tenet hunc peculiarem modum existentiae Dei in sanctis per gratiam de se non requirere præsentiam realem ipsius substantiæ divinæ in anima per conjunctionem, et unionem aliquam realem præter præsentiam immensitatis, ita quod si Deus per impossibile non intelligeretur immensus, non sequeretur per locum intrinsecum, quod ratione gratiæ sanctificantis, et amicitiae supernaturalis esset realiter præsens animæ: quia unio gratiæ, et amoris solum est effectiva, non substantialis. Ita p. Vasquez i tomo, i p. disp. xxx, c. iii, et super hanc quæstionem xliii, art. iii, in notatione articuli, et sequitur p. Alarcon hic tract. v de Trinitate, disp. ix, cap. ix, qui citat Ruizium disp. cix, sect. iii, n. viii, qui tamen n. xi oppositam probabilem censet.

IV. Nostra conclusio sit: Missio divinarum Personarum etiam invisibilis, et ratione gratiæ facta in animam, necessario petit realem,